[illegible]mus.
[illegible]is.

Margowski Andreae Rudolphi: Lubricum mortalis vitae Soleae etiam pontificiae inevitabile.

LVBRICVM
MORTALIS VITÆ
Soleæ etiam Pontificiæ
Ineuitabile,
Jn luctuosissimo obitu
JLLVSTRISSIMI & REVERENDISSIMI DOMINI
D. STEPHANI
à Magna Chrząstow
WIERZBOWSKI
Dei & Apostolicæ Sedis Gratiâ
EPISCOPI POSNANIENSIS
Nominati & Electi in Archipræsuleam dignitatem Gnesnensis
Ad exequialem iustorum funebrium memoriam
Jn Ecclesia Cathedrali Posnaniensi,
die ab obitu 6ta celebratam.
In Orphano dolentium.
Jllustrissimorum, Perillustrium, & Reuerendissimorum Prælatorum,
Totiusq; Peraugusti Capituli Posnaniensis conspectu
Jn vim debitæ erga Benefactorem suum gratitudinis
Nomine Pontificij Collegij Lubransciani
Extemporaneo Calamo

A M. ANDREA RVDOLPHO MARGOWSKI
In Alma Vniversitate Cracouien: Philosophiæ Doctore, ac interea in Collegio Academiæ Posnaniensis Philosophiæ Professore.

CELEBRATVM
Anno mortalis inter homines Dei 1687.

POSNANIÆ,
Jn Typographia Rndi D. Alb erti

763

Mors munus necessarium est naturæ iam corruptæ, quæ non est fugienda, sed potius amplectenda, ut iterum fiat voluntarium quod futurum est necessarium; offeramus Deo pro munere quod pro debito tenemur reddere.

S. Chrisost: super Matth 10.

Scilicet omne sacrum mors importuna profanat,
Omnibus obscuras inijcit illa manus.

Ouidius ad Liuiam.

Quidquid habet ortus, finem timet, ibimus omnes,
Ibimus: immensis Vrnam quatit Æacus vmbris

Statius lib: 2. Sil:

JLLVSTRISSIMO & REVERENDISSIMO DOMINO

D. HIERONYMO

à Magna Chrząstow

WIERZBOWSKI

Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ

Episcopo Fessensi, Suffraganeo, Præposito, Vicario in Spiritualibus, & Officiali Generali Posnaniensi, Custodi Varsauiensi, Sacræ Reg: M. Secr:

L*Vbricum mortalis vitæ, in quo quisquis amarissimo huic vitæ labilis mari fragilē credidit cymbam, congenitâ quadam humanæ sorti necessitate nutare cogitur, Tuo in pagina reproduco conspectui.* Illustrissime ac Reuerendissime Antistes. *Siccis intueri oculis triste hoc spectaculum non poteris, cuius natiuus amor tanto profundiori vulnere cor & viscera perstringit, quantò arctiori sanguinis vinculo sacra quadam morum similitudo tristem in animo Tibi facit recordationem. Siquidem promiscuâ Naturæ lege comparatum est, vt amoris mensuram doloris ratio impleat, quæ duo communi quodam nexu sibi cohærent, & in vna amici cordis sede morantur. Verùm lugubres abstergε lacrymas, Præsul dignissime, Fatales contra ausus desiste queri, excelsæ intuitu felicitatis, quæ nonnisi è sepulchralibus nascitur cineribus phœnix, & sera post fata venit. Ærumnarum terminum attigit perpetuus ille omnis gloriæ Olympionices, iamq; in meta est, ad quam longo desideriorum ambitu & tædio inertes damnans horas contendebat. Jam extra omnem incerti exitus & seueræ vicissitudinis ictum meritissimus stetit Antistes, inutile curarum pondus, quod sublimia lacessit capita, Letheas damnat ad aquas, beatioris sæculi nouam ordiendo vi-*

tam

tem. Tantæ illius non invideamus fortunæ. Lubrica perpetuis antefere-do bonis, Capitolium cæleste (quod vati animo spes ingeminat firma) plenis iam patet ostijs, strenuò mortalitatis Victori, qui sub gloriosissimo Crucis Diuinæ signo Ducẽ se gessit fortissimum tot animorum trophæa, tot victrices cordium palmas nectens, cruentæ Passionis vestigia Orbi ter-rarum demonstrando. Quantus in eo Religionis ardor, quantus pietatis zelus? interpretes habemus euentus, quibus in plenissimum sacerrimæ laudis assensum, singulorum pectora & animi vinciuntur. Verùm viuam in Te factorum suorum reliquit normam, Præsul Meritissime. Dolebat Posnaniensis hactenùs Cathedra & Diœcesis quod eum amiserit Pasto-rem, quem plenitudo dierum atq; veneranda canities, pro veritate Ec-clesiæ Dei, pro æquo & iusto Zelotem intrepidum dedit. Ast tristes exuit nænias, cùm Te Patruæ magnitudinis vadem habeat, qui Atlanti illi in partem solliciti laboris & curarum onus, novus Alcides ad ferendam cæ-li huius molem succedis, Primus Peraugusti Capituli Posnaniensis Præ-latus, ac velut inter primæ magnitudinis sidera pietate ac sapientiâ, Orbi Polono conspicuâ, velut inter ignes luna minores, Tua Te latere non sinit Maiestas. Exorere clarior post lugubria hæc nubila Phœbus, & grandioribus meritissimum Caput Tuum Infulis, virtutes Tuæ & merita coronent. Annuant voto superi & doloris magnitudinem pari ho-noris sacri accessu impleant. Quod cùm Academia nostra Posnaniensis obseruantissimo Tibi ex animo optat, simul submisse petit, vt extempora-neam hanc & vnius diei opellam à me Magno Tuo Nomini oblatam, pleno beneuolentiæ sinu accipias, & in quo repentinus peccauit calamus, sup-pleat id gratiæ Tuæ magnitudo, ita precatur.

Illustrissimæ & Reuerendissimæ Dominationis suæ.

Cliens obseruantissimus

M. A. R. Margowski, Phil: Doct: P. Pr:

LVBRICVM
MORTALIS VITÆ
Soleæ etiam Pontificiæ
Ineuitabile.

Fatorum vis amara
Et ſæua fragilis vitæ neceſſitas
Glaciale pluſquam mare
Jn Marpeſijs dolentium fibrarum venis
decumano iuſti doloris ſenſu
Diuturnis plangentis æui luctibus nec interrupto gemitu
Funeſtarum in dies, horas, & momenta cladium
Jmmani cumulat acceſſione:
Vnde diſplicentem ſibi Generis humani guſtum
Feralis amaritudo torquet,
Ne peritura ſapiat,
Quæ paululum guſtata necant,
Euanidæ dulcedinis conſcios, maiori calamitatum acrimoniâ
quàm ſuauitate.
Atq; procella hæc quâ premimur mortales
Iam in gláciem deſijt
Non brumæ cuiuſuis ſed importunæ viciſſitudinis
Aſperitate indurata:
Greſſum hîc figere non tutum eſt,
Quiſq; hic ſua mole ruit
Graui ſarcina & cumulato aduerſarum vicium pondere
Ad ima Vrnæ ſepulchralis truſus.
Nec mirum eſſet ſi nudo ac inermi quiſpiam calce
Viam hánc mortalibus datam tereret,
At, quibus excelſum genus
Et faſtigiatus honorum apex
Non exquiſitâ Steropis aut Vulcani cuiuſuis Arte,
Nec Cyclopum manibus fabricatum
Suppetit munimen
Sed Gentilitiam SOLEAM tot virtutibus
Meritiſq; in Patria, Eccleſia, illuſtrem
Longo Conſiliorum, Legationum
ab vſu ſolem ex Solea dantem,
Jlluſtris Accipitrinorum accendit Proſapia.
Et ecce dum ad faſtigia honoris in Toga ſacri

Virtutum meritorumq; stimulis vrgentur.
Lubricum vitæ Mors sæua obijcit
Ne in sublimi videret quos cæco turbine
Ad infima depressit.
Inuida fatorum series rebusq; supremis
stare negans . . . .
Exemplum ferale non sine lacrymis spectate
In Illustrissimo & Rndissimo Domino
D. STEPHANO à Magna Chrzastow
WIERZBOWSKI,
Dei & Sedis Apostolicæ gratiâ Episcopi Posnaniensis Nominati & Electi in Archipresuleam Dignitatem Gnesnensis.
In quo splendoris Auiti decus
In omne Laudis genus grandiori deductum incremento
Maiestatis suæ reliquit prodigia. (cet
Nam si à prima Origine laudatissimæ stirpis radios diducere pla
Iastrzembeciorum sanguine purpuratus
in fascijs decor in eam creuit amplitudinem
Qua nunc conspicuus WIERZBOWSCIORVM fulgor
In Episcopalibus Cathedris, Senatorijs Palatinorum ac
Castellanorum Curulibus
Excelsi Nominis culmina pandit. (rapiat,
Atq; ne antiquioribus calamum vestigijs Domus hæc augusta
Recentioribus exemplis mens intenta hæret.

I.

Series Honorariæ successionis ac Auita
Prosapia Illustrissimi Præsulis.
Grande filialis excellentiæ argumentum est
Laus Paterna,
Nec plus sanguinis in Nepotū cunabula redundat quam gloriæ
Plerumq; enim Generosæ stirpi inest virtus Paterna
Nam fortes creantur fortibus & viris nec feroces
progenerant Aquilæ columbas,
Illustrissimus tot egregijs in Toga & Sago factis
Illustrissimi Præsulis Parens
NICOLAVS WIERZBOWSKI
Castellanus Inovlodensis
Vir ad Insignia Honoris Trabeati Natus
Consilio Consus, Celebris sed Marte Camillus
Cæsar ex vtroq;
Qui vt posthumum vitæ suæ dispendium suppleret,
Quinariam in filijs progeniem reliquit
Vel eo gloriosiorem Quo

Quò maior in singulis inuicti pectoris celsitudo
Eximia paludatæ felicitatis fastigia
Non remoro attigit passu.
Nam ALBERTVS WIERZBOWSKI Magni Parentis non de-
Sanguinis & Virtutis iure hæres (gener filius
Patrio post fatà successit honori
INOVLODENSIS PVRPVRÆ Insignibus decoratus:
Cuius excelsis dotibus & raræ in agendis rebus prudentiæ
Invictissimi & Potentissimi Regis
VLADISLAI Quarti Magnitudo
Tantum tribuit quantum satis erat
Vt ad FERDINANDVM Secundum
Romanorum Imperatorem
Legationis munere fungeretur.
Iuit desultorio sui sanguinis tramite &
VLADISLAVS WIERZBOWSKI
Palatinus Brestensis,
Generis & felicitatis gradu secundus Frater,
Qui fortitudinis equè ac sapientiæ monumentis
Tot saluberimorum consiliorum palmis, tot victricibus
Ac præcipue Berestecensibus laureis memorandus
Cum centuriatis comitijs, ac vnanimi animorum calculo
Lanciciensis Palatinatus Ductor stetit
Contra immanes hostium phalanges
Heros & Dux Invictissimus.
Quid dicam de SIGISMVNDO
WIERZBOWSKI
Vexillifero Lanciciensi?
Cuius magnitudo pàtrio capi orbe nescia
Etiam in exteris Gentibus Wierzbovianæ Soleæ
Impressa reliquit vestigia
Dùm à PHILIPPO TERTIO
Hispaniarum Rege ad
FERDINANDVM TERTIVM
Imperatorem Romanum,
Munus & Onus Legationis ei committitur.
Felix profectò WIERZBOVIANÆ Domûs Propago
Quæ etiam externorum Principium testimonio
Patriæ suæ commendatur,
Ut pari gloriæ magnitudine Patrio probetur solo,
Quà soli exotico placuit.
Iuit ad similem prodromi honoris Clivum &

HIE-

HIERONYMVS WIERZBOWSKI.

Palatinus Siradiensis.
Fraterno ad summa quæque exemplo inuitatus
Principibus Sarmaticis unicè dilectus
Sicque Regii pectoris medullam sui amore occupauerat
ut
a VLADISLAO QVARTO.
Ad Serenissimam Sponsam.
LVDOVICAM MARIAM GONZAGAM
Regalis vice Paranimphi.
In Gallias mitteretur.
Fortunatus sanè Orator, qui Augustis mentibus
Tantùm poterat persuadere
Quantum satis erat ad fœdera Regalium Connubiorum ineunda.
Compleuit quinarium Trabeatæ stirpis numerum
Sacro sui Honoris accessu
Illustrissimus & Reuerendissimus Præsul.
Vt pace tantorum Nominum omittam.
LVCAM WIERZBOWSCIVM
Vexilliferum Lancicienlem Capitaneum Dibouiensem,
Qui deposito profano honoris ambitu,
Cælesti fœdere Sanctioribus mentem adiecit studiis;
Iam tunc amissas Paradisi prælibans delicias,
Quando Paradisiensem meruit Abbatiam.
Tacebo &
STEPHANVM WIERZBOWSKI.
Vexilliferum Siradiensem
Virum ad æui elegantioris normam Natum.
Tacito uenerabor silentio
NICOLAVM WIERZBOVIVM
Capitaneum Dibouiensem
Summis quibusque honoribus parem:
Ni diuturnum factorũ cursum ad metam gloriæ contendentem
Fatorum malignitas impediret.
Prætereo tot meritissima belli pacisque artibus Nomina
Quæ Auita sua in Solea
Non vano nomine quendam accendunt Zodiacum.]
Tot sideribus quot Capitum luminibus insignem.
Wierzbouianæ obiecta Soleæ
Feralem non semel pati ecelypsim coacta
Luna othommanica,
Cuius plena tumoris cornua
Crucis Soleatæ robore diminuta

Menstruam

Menstruam fateri coguntur paupertatem:
Dùm inuictissimorum Wierzbouiana de Gente Heroum
Inusitatâ dexteritate
Obstinatas duræ Gentis Ceruices calcari,
Fessa iam suis stragibus Patria
Non sine animi sui lætitia spectauit.
Cadmeam in pericula Progeniem admirata
In sanguine Wierzbouiano.
Tam illustri sui generis satellitio stipatus
Illustrissimus Præsul:
Feralem mortis ictum declinare ex arcano debuerat,
Vt diuturniori Honoris sacri Maiestate
Ecclesiæ, Patriæ, uniuersisque Ciuibns affulgeret.

II,

Illustrissimarum Prosapiarum cognatum Decus ad vrnam Præsulis Illustrissimi longo affinitatis fœdere deductum.

Non indiga equidem lucis alienæ felix de suo
Wierzbowsciorum Magnitudo,
Sed vt unitis tot luminum radiis clarior
Inter funesta hæc Mortis nubila Phæbus noster appareat,
Ex Occasu illius
Diffusæ lucis ortum metiamur.
Pertinet ad complementum tantæ amplitudinis,
Fortunata Opalensciorum Argo,
Cui felicem affinitatis Anchoram
Wierzbouii Generis Crux Soleata dedit.
Vt Sub Maternis Accipitrinorum auspiciis,
Bonis auibus
Ad Insulas contenderet fortunatas.
Accedit ad lugubrem hanc Crucis Soleatæ Pyram.
Lesciniani Vri victima
Quæ
Aureo Oris rotundi circulo æternitatem Wierzbouianæ præsagit Domui.
Sunt infractæ Grudziensciorum Turres
Quæ triplici desuper situ quoddam immortalitati.
Wierzbowianæ designant Capitolium.
Est Gembicciorū Fascia alligandis sauciæ Patriæ vulneribꝰ idonea
Ac fæderato sanguinis utriusque nexui accommoda.
Statuitur ad tristem Pontificiorum Cinerum vrnam
Truncata in tot Patriæ suæ insignia
Plusquàm Dodonea Arbor
Grzymultouiana,

Orbatæ trophæa Patriæ decisis exhibens ramis,
Oracula loquens.
Sunt tot aliæ Vetustissimæ tot Familiarum Domus
Quæ longo cognati sanguinis ordine
Wierzbowianam comitantur Soleam,
Pertinent hûc iùre Materni sanguinis Lacciorum Pisces
Famelico Patriæ suæ gustui toties subuenientes,
In arduis naufragæ salutis periculis.
Pertinent Dzialynianæ Sagittæ metam gloriæ attingentes
Vt omittam
Zegoccios, Suieciccios, Lascios, Pacios, Weyheros
Wolffios, Donhoffios.
Sexcentaque alia tot Prasapiarum decora
Quæ lugubri serie
Luctum, & funebrem Præsulei Nominis pompam
Lacrymis parentalibus prosequuntur.

III.

Illustrisimi Præsulis dotes, uirtutes, merita & honores, elogiasticâ narratione percurruntur

Magna quidem hæcsunt Præsuleæ Celsitudinis, quæ iam spectamus documenta,
Sed quia hæc debentur naturæ, non factis
Ideò maiora audiamus.
Atq; si primum vitæ diluculum, & iuventutis auroram intuebimur,
Facile totiûs diei præsagia explicabit,
Flos ille ætatis primæ Omnis honesti & vitutis symbolum erat
Viridique adhuc in herba,
Secuturas gloriæ & sapientiæ palmas nectebat & adoreas.
Testis ingeniorum Palæstra, Schola Regni,
Fecunda bonarum Artium Altrix,
Alma Mater mea Vniuersitas Cracouiensis
Vbi Regalibus D. Iagellonis sub Sceptris
Pontificali Pedo excelsa áptabatur Indoles
sub Corona, Caput Infulis,
Virtutibus ac meritis capax animus
Hinc illud Vatis recolens:
E heu, num sumus arbores?
Vt quocunq; loco natus inutili
Duret perpetuùm morâ.
Externarum Gentium mores & Ora s scrutari instituit,
Hic quantum Sarmaticæ glori æ fecerit experimentũ
Quantum pietatis & sapientiæ testimonium
Parisienses & Romanæ loquan tur Palæstræ.
Polonæ in eo Indolis spectactrices.

Ari-

Agnouerunt Coronis dignum in Stephano nomen,
Ni Patriæ; ni Ecclesiæ necessitas reditum persuaderet,
Desierunt enim moræ tædia, ubi virtus in confesso erat,
Quam Patriæ iam receptam Solo
Augusta Serenissimi Principis IOANNIS Casimiri gratia
coronauerat
Singulari fauore & beneuolentia egregias in eo dignata dotes,
Hinc per gradus veluti quosdam ad altiora ire incepit Præsulis
amplitudo
Referendarii Minoris imprimis titulum nacta.
Mox Serenissimæ Reginæ Poloniarum
MARIÆ LVDOVICÆ GONZAGÆ
In Thesaurarij honorem cooptatur
Placuerunt Principi animo dignæ coronari dotes, rotundi oris
Acutior prudentiæ uis & efficax modvs (suauitas
Quæ duo si mutuo fædere socientur etiam Regalibus persuadet,
Fidum egregiæ indolis amorem. (animis
Quapropter Serenissimus ille Princeps.
IOANNES CASIMIRVS.
Clarum Wierzbovianæ magnitudinis agebat Interpretẽ
Virtutem & Sapientiam in eo commendando.
Hinc post pectoralem Sponsæ Christi Fasciam Tholibovscianã
Crux Soleata. Wierzbowscy.
In Anchoram Nauiculæ Petri conceditur
Certissima Securitatis tessera.
Et spes naufragii pericula damnans:
Et certè amplioribus meritum Caput insigniret honoribus
Sed fata negârunt, quod Regalia vota promisêre.
Cuiûs natiuum splendorem KORIBVTHEA Luna admirans,
Serenissimi MICHAELIS imi gratia.
Et Regiæ Consortis
Serenissimæ ELEONORÆ amplissimus fauor.
Pium & Sanctum complectuntur Præsulem
Credoq; facile quod à Principe astrorum Cynthia
Genuinum splendorem deriuaret in se
Solea Wierzbowiana.
Nisi feralem præpropera Fata maturarent eclipsim.
Sed etiam Scutum illud Christianitatis impenetrabile
Odrysii Nominis scylla & Chárybdis
Serenissimus ac Inuictissimus
IOANNES TERTIVS

Polo-

Poloniarum Princeps
Amauit integerrimum tanto in Præsule candorem,
Amauit illibatæ veritatis Oraculâ
Velut è Delphico Tripode
In salutem Reipublicæ
Prodeuntia
Agnouitque parem summis sacra in Toga honoribus genium
Fabuloso quouis Atlante meliorem
Cuius exercitatis tot ponderibus humeris
Sacrum Archipræsuleæ dignitatis fastigium
Tutò incumberet.
Sed etiam summum in terris Trabeati honoris culmen
Infra calculum virtutum meritorumq; fuerat,
Maluitq; consummatissima ex omni parte felicitas
Cælestibus coronari præmiis
Quàm lacertosám Archiepiscopalis excellentiæ
Prouinciam attrectare, (alliciunt
Non ita enim purpureæ D. Adalberti Rosæ solo florum odore
Quin aculeis pungant
Animas etiam sine sanguine Martyrias,
Quapropter beatiorem vitæ sublimioris elegit partem
Præsul Meritissimus,
Gloriosiùs esse reputans
Caducis & fragilibus exui donis, intuitu mercedis æuiternæ.
Indubitatám etenim spem omnibus facit
Defensa & propagata tenerrimè Religio
Cuius zelotem integerrimum PRÆSVLEM
Spectauit Terrarum Orbis,
Stupuitq; quanto conatu & auiditate res sacras perficeret
Animus Diuino cultui deditissimus;
Ac præcipuè cruenta Saluatoris Nostri vestigia,
Profundissimo cordis amplexu comprehendens.
Totum se Crucifixo conformauerat
Et dolorosam illius memoriam, adeò humanis imprimi pectoribus studuit
Vt diuturnis non parceret impendiis
Sumptus hùc omnes conuertens. (menta
Quibus insignia Passionis & humanæ Redemptionis instru-
In elegantioris Maiestatem formæ erigeret
Serisq; relinqueret posteris
Genuinam excelsæ mortis imaginem.
Ostendere tempora
Quam cælis placuerit sacrum Præsulis meritissimi opus
In terris relictum
Dùm non alio quouis temporis tractu
Hinc ad sublimia cælestis Capitolii euocatur

Sed ea

Sed eâ vergentis anni parte,
Quâ acerbissima Saluatoris Nostri mors celebratur
Memoria Passionis
Sanctioribus animis inculcatur
Vt operosa sanctimoniæ virtus
Justum accipiat stipendium
Dùm triumphale Christi labarum profertur;
Relictis in terra mortis spoliis
Liber eo contendit animus
vbi
Pax simul æterno fædere tuta viget;
Parce mihi Præsulum dignissime
Jam mihi non Accipitrina indè cáneris Progenies
Sed Phænicem Te sæcula dicent,
Ex augustis Diuinæ Sapientiæ Cineribus
Ad sublimia cæli evolantem.
Reliquisti nidum cordi Tuo optatissimum
Spineam Crucifixi coronam
Jnter quas cruenti spectaculi spinas ac tribulos
Lilia innocentiæ & candoris Tui floruêre:
Jn quorum odorem longa virtutum series
Jn capacem Tuum influxit animum
Velut in vivam omnis honesti encyclopediam
Accurrebant Religiosi cætus & longus egentium ordo
Vt de thesauris Tuis velut de penu Amalteæ,
Velut de fonte omnis liberalitatis
Ad satietatem haurirent.
Sed iam
Amiserunt pullatæ Religionum Centuriæ
Beneficum Patrem,
Qui diuturno æris proprii pretio
Ædes, Aras, Templa, totq; alia beneficentiæ suæ monumenta
Restaurabat, erigebat, dotabat
Lugent viduæ cohortes Protectorem suum
Orbati pupillorum greges
Funebribus lamentis querulantur,
Contra importunâ Mortis Præsuleæ Fata
Quæ dùm vitâ Antistitem exuunt, beneficiis spoliant
Priuatam multorum indigentiam
Post tot Præsuleæ amplitudinis monumenta
Post coronatas vndiq; gratias
Quæ Præsulei nominis probârunt magnitudinem
Jn vitaq; demonstrârunt

Quid Wierzbowiani *valeant humeri*
quid ferre recusent.
In continuis munificentiæ documentis.
Restat ut vnitis vocibus & votis
Abeuntem in Regionem longinquam
Comitentur orphanæ indigentium animæ
Quas reliquit, dicantq; simul

Illustrissimo & Rndissimo Domino
D. STEPHANO WIERZBOWSKI
Episcopo Posnaniensi
Benefactori Nostro.
Cælestis gloriæ Stephanoma
In æuiternam cedat
Mercedem..

